

se ipso in Evangelio propositam; atqui haec norma consilia quoque complectitur: ergo. Et re quidem vera oportet ut Ecclesia, quae est corpus Christi, vitam sui capitis perenniter referat; atqui Christus absolutissimum exemplar fuit omnium consiliorum, eorumque exercitio omnis vita eius contexta fuit: ergo. Hinc ab initio Ecclesiae exstitit consiliorum observatio, iugiterque perseveravit, veluti spontaneus effectus institutionis christianae.

V. Charismata intelligimus gratias gratis datas quarum plures enumerat Apostolus 1. Cor. XII, 28. 30. et Christus Marci XVI, 17. 18. quaeque praecipue ad miracula redeunt. De horum possibilitate non est cur heic philosophice disputemus. Protestantes rationalistae qui hanc possibilitatem negant, et idcirco negant miracula in Ecclesia Christi esse futura, audiri non merentur. Defectus eorum in suis coetibus haud parum contulit ad eorundem negationem. Iam vero quaestio duplex esse potest: 1^a an simpliciter in Ecclesia esse debeant aliqua saltem; 2^a an perseverare quadam continuitate in eadem debeant. Quod spectat ad hanc alteram quaestionem, nequit profecto postulari continuitas quaedam physica sine interruptione, quam ipsa ratio miraculi quod extraordinarium quoddam est excludit, et quam finis horum charismatum nullo modo exigit. At si huiusmodi signorum existentia nexa est a Deo cum vita supernaturali ipsius Ecclesiae, ea ipsorum perseverantia exigi potest, propter quam dicere liceat semper eandem esse Ecclesiae vitam, et sic eandem esse Ecclesiam; ad quod obtinendum sufficit ut identidem pro opportunitate secundum divinae Providentiae consilium signa huiusmodi in Ecclesia fiant. Iam vero 1^o certum est voluisse Deum ut essent talia signa in Ecclesia quibus eius divinitas probaretur: quod quidem ut verum sit, satis est ea ex divina voluntate exstitisse ab origine Ecclesiae. Sane praedicatio Apostolorum fuit non in sapientia hominum, sed in ostensione spiritus et virtutis Dei 1. Cor. II, 4. 5; porro virtutes Dei sunt miracula Matth. XI, 21. alibique: Apostolique ubique praedicaverunt Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis Marc. XVI, 20. Idque futurum Christus praedixit Marc. ibid. 17 et Ioan. XIV, 12. ac idcirco id se facturum: miracula enim solus Deus efficienter operatur. Porro 2^o ex iisdem testimoniis patet quod promissio signorum a Christo facta Ecclesiae suae non est determinate nexa cum originibus fidei sed simpliciter cum ipsa fide qua Ecclesia vivit, ut eiusdem essent divina confirmatio. Iam vero hic nexus exigit ut perseverante eadem fide perseveret quoque operatio signorum: statuta enim sunt a Deo miracula tanquam signa huius vitae supernaturalis; oportet autem vitam hanc manifestam esse semper iisque modis quibus Deus illam ostendi voluit: ergo.

VI. Affirmamus tandem nexum existere ex institutione Dei inter sanctitatem quam descripsimus et auctoritatem ab eo in Ecclesia statutam ut haec sub Deo sit principium quoddam illius, et citra ipsam sanctitas nequeat haberi. Sane potestas a Christo instituta in Ecclesia posita est in consummationem Sanctorum Ephes. IV, per ipsam solam vera fides habetur quae est sanctitatis initium, ab ea sola legitime accipiuntur sacramenta qua legitima susceptione interior sanctitas obtinetur, ea sola Dei nomine et infallibiliter proponit normam certam vivendi secundum Evangelium, ut sanctitatem assequantur, et progressus in sanctitate faciant fideles, gratiarumque gratis datarum promissio illi soli fidei facta est quam docet magisterium a Christo institutum. Ergo ut haec omnia bona habeantur oportet ea mediante hoc ministerio a Christo instituto obtinere; et extra illud non nisi specie tenuis haberi possunt, quemadmodum seorsim ab illo nulla est Ecclesia Christi: ergo.

§. XXV.

Ecclesiae Christi proprium rursus est ut non iure tantum, sed et facto sit catholica, h. e. ea communionem contineatur, quae absolute ampla sit, relative vero amplior sit quovis coetu qui Christiani nomen sibi immerito usurpat. Cum autem in catholicitate elementum materiale et formale distinguatur, principium formalis catholicitatis esse debet Ecclesiastica potestas a Christo instituta.

I. Ὅλον est totum sive plenum et integrum, si referatur ad partes; atque est totum sive universum, si referatur ad species aut individua. Καθολικόν proinde universalitatem aut plenitudinem significat. Multiplex quidem potest distingui plenitudo et universalitas in Ecclesia: nempe plenitudo doctrinae salutaris, mediorum sanctificantium, materiae remotae quae est genus humanum, materiae proximae, quae omnes complectitur orthodoxos: plenitudo seu universalitas temporum, ac tandem plenitudo seu universalitas locorum et nationum, h. e. plenitudo chorographica et ethnographica. De prioribus non loquimur: quas identidem comprehendunt Patres in appellatione *catholica*, sine exclusione tamen postremae, imo ea supposita et adsignificata: quaestio est modo directe de ultima, inclusa tamen etiam penultima: nempe quaeritur utrum Ecclesia Christi tanquam proprium habeat ut sit catholica universalitate locorum atque nationum, et quidem semper. Ut catholicitatis conceptus perspicuus sit, advertere haec oportet: 1) Catholicitas alia est *iuris*,

alia *facti*: ea est potestas et destinatio ad occupanda loca omnia et nationes, omnesque comprehendendas personas: haec est actualis occupatio locorum, et comprehensio personarum. Advertendum 2) quod ex malitia quidem hominum infideles alieni prorsus a nomine Christiano atque haeretici et schismatici existent semper plus minus usque ad ultima tempora (Matth. XXIX, 14; Rom. XI, 25; 1. Tim. IV, 1; 2. Tim. III, 1; 2. Pet. III, 3; 1. Cor. XI, 19); quare ut Ecclesia fruatur vere ea catholicitate, quam semper sibi vindicavit, postulandum non est ut omnes prorsus homines universalitate physica ad eam actu pertineant; secus enim nunquam fuisset, et forte nunquam foret catholica. 3) Quemadmodum Ecclesia a Synagoga, et a ceteris gentilium sectis satis distinguitur eo quod est Christiana; ita ab haereticis et schismaticis sectis speciatim secernitur eo quod est *catholica*: unde hoc caractere Patres frequenter eam a sectis haereticis et schismaticis discernebant: et sane per catholicitatem ratione habita conditionum Ecclesiae aperte ostenditur existere in ea Spiritum Dei, eamque vivere vitam divinam.

His positis dicendum est quod catholicitas *negative* in eo est ut Ecclesia *iure et facto* non sit coarctata ad certum locum, certamque nationem, quemadmodum Synagoga: *positive* vero in eo est ut *iure* quidem ad omnia loca omnesque nationes ac personas se porrigat: *facto* autem amplitudinem quamdam moraliter universalem obtineat. Quae amplitudo moraliter universalis ut declaretur, distinguenda est catholicitas *absoluta et relativa*. *Relativa* in eo consistit quod Ecclesia, quae catholica dicitur, sit amplior singulis aliis coetibus qui Christianum nomen sibi usurpant: *absoluta* in eo consistit, quod Ecclesia ita sit per orbem diffusa, ut omnibus locis conspicua sit atque ita moraliter dici possit τὴν οἰκουμένην occupare. Ita a Maioribus Ecclesia appellabatur catholica, non quod omnibus esset in locis, omnesque homines comprehenderet, sed quod nulla esset terrae pars praecipua, in qua non existeret, omnibusque esset conspicua, adituque facilis. Liquet autem de iis locis, iisque nationibus sermonem esse quae cognoscantur, erga quas nempe Ecclesia, quae hominibus constans humano modo agit, missionem suam exercere valet. Porro ut vere Ecclesia obtineat nationem aliquam, opus non est ut omnes personae illius nationis ad Ecclesiam spectent, neque proinde nomine loci quaecumque minima pars telluris significatur, sed quae populo, genti, aut nationi respondet: neque est necesse ut princeps vel regimen sit Ecclesiae subiectum, neque idcirco habenda est ratio illius appellationis religiosae, quae propter gubernium nationi tribuitur; sed habenda est ratio eorum, qui eam nationem constituunt. Insuper recolendum est omnes infantes legitime baptizatos inter haereticos et

schismaticos ad veram Ecclesiam pertinere; eosdem vero adultos factos, qui prima fidei rudimenta tenent, donec sunt in bona fide, apparenter quidem haereticis aut schismaticis accenseri, re autem ipsa ad veram Ecclesiam Christi pertinere. Quia vero Ecclesia successivis aetatibus existit, catholicitas rursus distinguitur in *successivam* et *simultaneam*. Successiva est, si nationes omnes unam post aliam obtineat Ecclesia, ut ab una recedens, ad aliam se porrigat; simultanea est cum omnes nationes, sive physice sive moraliter omnes simul, obtinet. Simultanea rursus potest haberi vel una tantum aetate, aut aliquibus, aut omnibus aetatibus, quibus existit societas. Perperam vero quis postularet ut actualis catholicitas simul esset cum primordiis societatis illius, quae ex adunatione hominum a quibusdam paucis a Deo electis constituenda est per praedicationem verbi, quod illi ferant ad omnes gentes. Sed satis est quod actualis catholicitas adsit, cum ea prima praedicatio universalis praecessit, quae sufficiens esset ad hunc effectum assequendum. Illud vero prae oculis praecipue habendum est quod catholica societas nequit haberi nisi sit *una eademque societas* ubique diffusa: quare cum distinguitur catholicitas in *materialem* et *formalem*, ut materialis sit, si tantum extensio spectetur: formalis, si unum idemque sit quod extenditur; id ita est accipiendum, ut quod catholicitas materialis dicitur, sit ipsa materia catholicae societatis.

Si vero res penitus perpendatur, facile liquet catholicitatem terminum esse illius vitalitatis qua Ecclesia viget, per quam obtinet fecunditatem ex sese immarcescibilem, qua filios procreando se amplificare valet sine fine.

Dicimus itaque catholicitatem simultaneam perennem iuris et facti esse proprietatem Ecclesiae: et quidem catholicitatem iuris esse proprietatem essentialem; quamvis enim Christus potuisset per se instituere Ecclesiam pro aliqua tantum natione aut humani generis parte, sicut potuisset per se velle redimere solum aliquos homines; tamen inspecto fine proprio huius Ecclesiae, qui est applicatio fructus redemptionis salusque eorum, qui a Christo sunt redempti, liquet Ecclesiam Christi talem esse intrinsece ut ad omnes prorsus homines sit destinata; unde omnibus est necessaria. Actualis vero catholicitas, quae ex libera quoque hominum voluntate dependet, posset deesse manente eadem essentia rei, sicut deest diffusio universalis universalitate physica. At voluntas Dei est ut Ecclesia sua actu quoque catholica sit: quae voluntas divina non laedit libertatem humanam, sicut non eam laedit voluntas perpetuitatis Ecclesiae (§. VIII). Est ergo catholicitas actualis proprietas necessaria Ecclesiae; atque hanc modo defendimus. Probandum est ergo catholicitatem

actualem tum absolutam tum relativam, simultaneam et perennem esse Ecclesiae necessariam proprietatem.

II. Sane si Scripturas consulamus, praeunte Augustino in lib. de Unitate Ecclesiae, Ecclesia talis esse debet, qualis describitur et promittitur futura in lege, in Psalmis, et in Prophetis: atqui ibi describitur et promittitur futura simultanee et perenniter in universo orbe: ergo. Testimonia haec sunt Gen. XVIII, 18; XXII, 18 (coll. Gal. III, 15); XLIX, 10; Psal. XI, 8; XXI, 28. 29; LXXII, 8; Isaiae II, 2; IX, 6; XVIII, 6; Dan. VI, 27; Mal. I, 11. In quibus invicem collatis advertendum est 1) sermonem esse non tantum de iure, sed et de facto, idque in pluribus diserte: 2) regnum Christi exhiberi ut ubique diffusum: et quidem simultanee: Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum Psal. LXXI, 8. Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terrae Ps. XXI, 29. Dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae. Psal. II, 8. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum. Psal. XVIII, 5. coll. Rom. X, 18. Ad dexteram et ad laevam penetrabis, et semen tuum gentes hereditabit Isai. LIV, 3. 3) diffusionem hanc exhiberi ut propriam dotem regni Messiae, atque ut signum Messiae qui iam venerit. Atqui a) signum adventus Messiae nequit referri ad finem mundi; sed moraliter coniunctum esse oportet cum ipso Christi adventu. b) Quia vero haec ampla simultanea diffusio exhibetur ut qualitas propria regni quod Christi meritis tribuitur, oportet eam sicut et regnum, esse perennem; debet enim perdurare regnum quod sibi Christus acquisivit cum iis dotibus in quibus ratio praemii praecipue consistit. Rursus stabilitas huius diffusionis universalis indicatur quoque a Daniele II, 34. 35. 44. 45. ubi lapis qui in montem magnum crevit et implevit universam terram, Christus est cum sua Ecclesia. Porro visio haec significat regnum quod Deus caeli suscitabit, regnum quod stabit in aeternum. Stabit ergo semper mons ille magnus qui implet universam terram: ergo. Praeterea talis Ecclesiae diffusio (Malach. I, 11) repraesentatur, ut sit in omni loco, (in omni loco sacrificatur et offertur) sit simul (ab ortu solis usque ad occasum) absque ulla temporis limitatione (sacrificatur et offertur): atqui haec est diffusio simultanea perennis: ergo.

Nota quod cum formulae: omnes gentes, omnes nationes seu tribus terrae et huiusmodi, accipi possint universalitate tum physica tum morali, universalitas vero physica ex aliis Scripturae testimoniis excludatur, restat ut accipi debeant de universalitate morali.

Si autem sensum Christiani coetus consulamus, idem luculentius quoque constabit. Nam a Maioribus Ecclesia talis praedicata semper

fuit quae ubique universalis esset quoad gentes et loca, et propterea *catholica* appellata sub hac explicita significatione quod sit ubique diffusa; atque sub ratione catholicitatis opposita sectis haereticis et schismaticis. Iam penes Ignatium ad Smyrnaeos n. 8. et in epist. Smyrnaeorum de martyrio Polycarpi occurrit titulus *catholicae*. Eius vero vim declarant Patres cum adversus haereticos fidem totius Ecclesiae eiusque catholicitatem proponunt. Ita Irenaeus L. I, c. 10: «Hanc fidem cum acceperit Ecclesia utique in universum mundum disseminata diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, et similiter credit iis quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter haec praedicat et docet quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sint, sed tamen vis traditionis una eademque est. Et neque hae quae in Germania sunt fundatae Ecclesiae aliter credunt, neque hae quae in Hiberis sunt, neque hae quae in Celtis, neque hae quae in Oriente, neque hae quae in Aegypto, neque hae quae in Libya, neque hae quae in medio mundi constitutae; sed sicut sol in universo mundo unus idemque est, sic et praedicatio veritatis ubique lucet.» Optatus L. II, n. 1: «Ergo ut in particula Africae, in angulo parvae regionis apud vos (donatianos) esse possit (Ecclesia), apud nos in alia parte Africae non erit? In Hispaniis, in Galliis, in Italia ubi vos non estis, non erit? Si apud vos tantummodo esse vultis, in tribus Pannoniis, in Dacia, Maesia, Thracia, Achaia, Macedonia, et in tota Graecia, ubi vos non estis, non erit? Ut apud vos esse possit, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Pamphilia, Phrygia, Cilicia, et in tribus Syriis, et in duabus Armeniis, et in tota Aegypto, et in Mesopotamia, ubi vos non estis, non erit? Et per tot innumerabiles insulas et ceteras provincias quae numerari vix possunt, ubi vos non estis, non erit? Ubi ergo erit proprietas nominis, cum inde dicta sit catholica quod sit rationabilis et ubique diffusa?» Hinc Augustinus De utilitate credendi c. 8: «Eorundem Christianorum, cum sint haereses plures, atque omnes se catholicos videri velint, aliosque praeter se haereticos nominant, una est Ecclesia ut omnes concedunt, si totum orbem consideres, referitur multitudine, ut autem qui noverunt affirmant, etiam veritate sincerior ceteris omnibus. Sed de veritate alia quaestio est, quod autem quaerentibus satis est, una est catholica, cui haereses aliae diversa nomina imponunt, cum ipsae singulae propriis vocabulis quae negare non audent, appellentur.» Quocirca: «Si quando (ait Cyrillus hierosol. Catech. XVIII, n. 26) peregrinatus fueris in civitatibus ne simpliciter requiras ubi sit Dominicum, nam et ceterae impiorum sectae atque haereses suas speluncas Dominicorum nomine honestare nituntur, neque ubi sit simpliciter Ecclesia, sed ubi sit *catholica*

Ecclesia; hoc enim proprium nomen est huius sanctae et matris omnium nostrum. » Pacianus epist. 1^a ad Sympronianum redarguentem appellationem *catholicae*, monet ideo eam usurpari ut a sectis ceteris discernatur Ecclesia, hancque appellationem ex usu veterum probat, subditque: « Christianus mihi nomen est, catholicus cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit. » Hinc Augustinus contr. Faustum L. XIII, c. 13. advertit praemonuisse Christum « ut non audiantur illi qui ad religionum scissuras traducunt dicentes: *ecce hic est Christus, ecce illic*, partes enim ostendunt; cum illa civitas supra montem sit qui factus est mons magnus ita ut impleret universam terram. » Quocirca consequitur ut quicumque post Apostolorum praedicationem non ostendit Ecclesiam Christi ubique diffusam, non ostendat Ecclesiam Christi. In qua argumentatione Patrum adversus haereticos se prodit manifeste iste conceptus quod vera Ecclesia semper sit et debeat esse catholica. Quae quidem doctrina evidens, ut puto, fit ex disputatione Augustini cum Donatianis. Hi enim asserebant veram Ecclesiam, quae antea catholica actu fuit, sua aetate ad minimam partem orbis esse redactam. Iam vero ex hoc ipso quod eorum secta tunc catholica actu non esset demonstrat Augustinus eam non esse veram Ecclesiam Christi. Neque ex eo arguit tantum quod eorum secta uno angulo orbis esset conclusa, sed ex eo quod universum orbem non occuparet; talem enim contendit debere esse Ecclesiam Christi. Atqui si fieri posset ut vera Ecclesia desineret actu esse catholica, argumentatio Augustini falso supposito laboraret, nihilque efficeret. Et tamen Augustini demonstratio omnibus catholicis semper probata fuit. Verum est ergo et catholicum quod Augustinus supponebat catholicitatem debere quovis tempore Ecclesiae verae competere. Quod et supponebat Epiphanius Haer. LXI, n. 2. ita arguens: « Ergone Ecclesia quae ad utrosque terminos terrarum porrigitur, excinditur nec amplius in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum: nec illud valet quod a Servatore dictum est: eritis mihi testes ad ultimum terrae? »

Porro symbolica professio fidei est ut Ecclesiam credamus *catholicam*; haec professio in pluribus formulis symboli, et in symbolo nicaeno ceterisque sequentibus invenitur. Quid vero hac appellatione significetur constat ex Patribus, qui catholicitatem propriam et nunquam Ecclesiae verae defuturam praerogativam se habuisse monstrarunt. Idcirco ea professione fidei quemadmodum credimus Ecclesiam non solum quae fuit et erit sed et praesentem, ita credimus Ecclesiam non tantum quae fuit, aut erit, sed et praesentem esse catholicam.

III. Cum catholicitas esse nequeat nisi sit una eademque societas ubique existens, neque idcirco esse poterit sine principio unitatis,

ideoque catholicitas Ecclesiae nequit esse sine principio suae unitatis quod Christus instituit. Hoc autem est potestas ipsa Ecclesiastica in Apostolis a Christo instituta, ut iam patet ex superius dictis. Ergo seorsim ab hac potestate, deficiente formali catholicitate, vel nulla est reapse catholicitas, vel non ea est quam Christus esse voluit. Idem rursus principium formalis catholicitatis est principium quoque fecunditatis Ecclesiae; solis enim Pastoribus, Doctoribus et sanctificatoribus a se missis Christus suam perennem assistentiam in praedicatione verbi et propagatione Ecclesiae promisit: quapropter sola illa Ecclesia quae obedit ministerio a Christo instituto catholica esse potest.

Nota. Licet facta hypothese quod Ecclesia quae actu catholica fuit, per accidens aliqua aetate ad parvum numerum coarctata, adhuc ea dici posset esse Ecclesia catholica, h. e. esse eadem ipsa Ecclesia quae actu catholica fuit, et iure semper catholica manet (quae videtur esse sententia Bellarmini De Eccl. L. IV, c. 7. post alios) tamen ex dictis negandum esset tum Ecclesiam esse catholicam eo modo quo Christus voluit, qui modus in eo est ut actu semper Ecclesia sit talis, non solum sit ea quae talis fuit aut esse potest et debet.

§. XXVI.

Proprietatibus Ecclesiae ea connumeranda est ut sit Apostolica, h. e. ab Apostolis instituta, ab Apostolorum successoribus, qui nedum materialiter sed formaliter tales sint, ita regatur ut ad Apostolos rursus, interrupta nunquam Pastorum successione, eius auctoritas revocetur.

I. Triplici ex capite dicitur Ecclesia *Apostolica*, ratione originis, quatenus est ab Apostolis profecta; ratione doctrinae quatenus proficitur fidem ab Apostolis traditam; ratione ministerii seu regiminis, quatenus regitur et pascitur ab iis qui continuata serie sunt successores Apostolorum. Si hoc tertium adsit, habentur et duo priora: nam adest certe origo apostolica, cum series Pastorum succedentium ab Apostolis inceperit: adest et doctrina Apostolica, quoniam seriei continuaae successorum Apostolorum promissa est infallibilitas. Verum ut haec adsint necesse est ut illud tertium existat non tantum *materialiter*, sed et *formaliter*; sit nempe formalis successio Pastorum. Successio materialis est mera series successiva Pastorum seu Episcoporum non interrupta usque ad Apostolos vel aliquem ex Apostolis ex quibus inceperit: successio formalis est haec series quae praeterea potitur auctoritate ab Apostolis derivata in singulos successores.